



B. R O T H O

XI,

EPISCOPUS PADERBORN.

Annus Christi 1036.

Benedicti IX Pont. 3.

Conradi II Reg. 13. Imp. 10.

Rothonis Ep. Pad. 1.

Rotho ex
Stabulen-
si Mona-
cho Ab-
bas

Hertzfel-
denfis, ac
deinde
Episco-
pus Pa-
derbor-
nenfis.

*Auctor vi-
ta D. Hey-
meradi.*

*Everhelmus
in vita B.*

*Poppon. c. 9.
Bollandus
ad 25. Jan.*



Einwerci in Episcopatu Successor Rotho; quem ab alijs Rothardum, ab alijs Rudolphum, à quibusdam etiam Ruodonem appellatum accepimus. Primum is Monachi vitam professus in Stabulensi Cœnobio, quod per id tempus sub D. Poppone Abbate disciplinâ religiosâ & præstantibus viris celebre fuit. Nam istic Monachum egisse, atq; ex Monasterio traductum Hersfeldiam, eidemque Cœnobio, quod in vicinâ apud nos Hassiâ est, Abbatem fuisse impositum, tradit Auctor vitæ D. Heymeradi: *Rerum*, inquit ille, *tunc temporis potiebatur Conradus Henrici secundi Imperatoris Pater*: & quia discordia gliscebat inter Arnoldum Abbatem Hersfeldensem & fratres ejus, actum est, *ut Arnoldum deponerent, et piæ memoriæ Rudolphum de Monasterio, quod dicitur Stabulaus, postea Paderbornensem Episcopum, loco ejus subrogarent*. Ex hoc munere Rudolphus seu Rotho præclarum mox specimen prudentiæ & caritatis dedit; nam & Monachos in concordiam reduxit, & restitutâ disciplinâ, omnibus se amabilem præstitit: neque hi aliter exinde Rothonem, quod idem Auctor retulit, quàm religiosissimum Patrem suum venerati sunt. Eadem fere de Rothone memorat Everhelmus Abbas in vita B. Popponis Stabulensis Abbatis. Etenim ex quo Conradus Imperator Popponi moderationem omnium regalium Abbatiarum per Imperium commiserat, multos ille diversis Monasterijs Præsides imposuit, interque hos *apud Heresfeldiam Ruodonem, Pathalabornensem postea Episcopum, præfecit Abbatem*; & postquam Meinwercus excessit è vita, ejusdem Popponis consilio & studio, Conradus Imperator Rothonem

thonem